

IVSTI LIPSI
EPISTOLICA
INSTITVTIO,

Excepta è dictantis eius ore,
Anno 88. Io. LXXXVII.
mense Iunio.

*Adiunctum est Demetrij Phalerei
eiusdem argumenti scriptum.*



LUGDVNI BATAVORVM,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Franciscum Raphelengium.
c Io. Ic. xci.

15324

IUSTI LIPSI
EPISPOLICA
INSTITUTIO

Excepit & digessit eius o[mn]is
Anno .. . I.C. lxxxviii.
meus Iustio.

Amstelodami ab D[omi]ni[us] T[er]pstra
et J[oh]ann[es] a[ndreas] a[ugustinus] Iacobini.



PADANI BATAVORUM
EX OFFICINA PLANTINIANA
Ab[raham] Plantin R[ec]p[ro]ducitur
G[er]o. I.C. xc.

I V S T V S L I P S I V S

F R A N C I S C O R A P H E -

I T R V I L E N G I O S V O

S. D.



VANDO ita vis, fiat. Ede
libellum, potius quam ut
alius alibi eum edat: quod
ais te comperisse. Ego ta-
men non in hanc spem ge-
nui: & scis extemporali cu-
râ serè ante annos quattuor dictata hac nobis,
idq; in usum captumque saltem iuuentutis.
Iis ipsis multa utiliter tunc interfati sumus aut
misiuimus, que hic non habes, illustranda sci-
licet rei aut firmando. Nam hac breuia.
qua tamen ipsa, quoniam usui etiam aliis esse
posse, tu aliq; censem: age, non inuideo, com-
munica. sed hac lege, ut omnes sciant, discen-
tibus, non doctis; iuuenibus, non adultis, hac

A 2 à nobis

à nobis scripta: nec unquam edendi isto fine.
Nam hac talia seruabamus Dialogis De in-
stituendâ iuuentute. Sed, ut initio dixi,
quoniam vis, fiat: Et tu in aliis magè seruis
Platinianum nomen famâque propaga.
Vale. v. Kal. Nouembris. 100. I. c.

FRANCISCO RATH

ITSAI LENCIO SAO

d. 2

I V S T I L I P S I
E P I S T O L I C A
I N S T I T U T I O .

C A P V T I.

*De nominibus variis Epistola: & de
formâ apud veteres.*



PISTOLA quî rectè &
laudabiliter scribatur, præire
mihi propositum iuuentuti.
sed compendio: ad usum,
nō ad speciem: nec ut omnia
quæ ad rem, sed quæ in rem
maximè, dicam.

E P I S T O L A E Græcani-
cum nomen est, ἡπιστολή, quasi *Missoriam* dicas:
(Isidorus interpretatur *Missam*) sed in veteri tamen Lib. viii.
Latinorum usu: & Plautus aliquoties usurpat, & Orig.
Afranius comediam etiam quampiam, *Epistolam* in-
scripsit. V mediâ Politianus & nonnemo hodie scri-
bunt, freti auctoritate librorum & lapidum, in qui-
bus crebrò sic reperias: sed, nisi fallor, numquam ante
Vespasiani ævum. Et per *O* sanè rectius scriferis
magisque ἀναλόγως. Aliis etiam nominibus prisci
appellauere, *Litteras*, *Tabulas*, *Tabellas*, *Codicillos*. *Litteras*, (poëtæ etiam *Litteram*,) ob eminentiam, &

quia hoc genus creberrimi inter litteras omnes usus:
 Tabulas, Tabellas, Codicillos à materie; quia ante
 chartæ & membranarum usum (* Isidori verba cito)
 in dolatis ex ligno codicellis epistolarum colloquia scribeban-
 tur. Unde et portatores earum Tabellarios vocauerunt.
 Quæ transcripta moneo ex Hieronymi epist. XLII.
 Feltus eidem rei: *Tabellis*, inquit, pro chartis uterentur
 antiqui; quibus vltro citroque certiores absentes faciebant:
 unde adhuc Tabellarij dicuntur, et Tabellæ missæ ab Im-
 peratoribus. Inde Plautus Epistolam circumscribens
 Pseudolo:

Per ceram & lignum, inquit, litterasque interpretes.
 Et paullo post:

*Pro ligneâ salute vis argenteam
 Remittere illi?*

Eiusmodi Tabulæ Homero etiam notæ apud quem
 Prætus litteras Bellerophonti tradit scriptas ē πίνακες
 πλυντέσ, in tabella plicata. Fieri solitæ inductâ cerâ,
 è fago, abiete, buxo, tiliâ siue philyrâ, acere, citro, ebo-
 re. quæ omnia exemplis firmare non hic locus. Usi
 tamen & chartâ ad hanc rem: idq. ex Martialis lem-

mate facile colligas, *Chartæ epistolares*: quod nomen
 hodieque Epistolæ tribuunt Hispani. Sed siue
 Tabella, siue Charta, paullò alia tamen eius quam
 hodie forma. Pagellæ enim erant, & species minuti
 libelli. Hinc Ciceronis illa capies: *Extrema pagella*
pupugit me tuo chirographo. Et, Altera iam pagella pro-
 cedit. Excipio, quod publicas litteras ad S. P. Q.
 grandiore formâ, & transuersa chartâ scribebant, sci-
 licet quasi Historias. Suetonij haec mens ipsi Julio:

* Lib. v i 1.
 Orig.

Iliad. ζ. vers.
 cixix.
 * Siue, dupli-
 ce.

Lib. x i v.

* Lib. 1 1.
 ad Cælium
 epist. x i i i.
 * Lib. 1 i.
 ad Brutum
 epist. xxv.

* Cap. l v i.

Primus epistolas ad Senatum, ad paginas & formam memoriais libelli convertisse fertur, cum anteā COSS. ac Duces non nisi transuersā chartā mitterent. Cui Isidorus dāt lucem: Quedam nominaliborum apud gentiles certis modulis conficiebantur: breuiore formā, Carmina atque Epistola, at verò Historiae maiore modulo scribebantur. Et hinc * Senecam explicō: Epistola non debet sinistram * Epist. XLV. manum legentis implere. quod scilicet referendum ad angustias & minutam libelli formam.

CAPUT II.

Quid sit Epistola, & quae eius partes.

DEFINIO autem Epistolam: SCRIPTV M ANIMI NVNTIVM AD ABSENTES, AVT QVASI ABSENTES. Animi nuntium dixi: quia finis epistolæ duplex, aut affectui testando, aut rei significandæ. Illum, ingerit Ambrosius ad Sabinum: Epistolarum usus est (inquit) ut disuneti locorum inter uallis, adfectu adhæreamus: Hunc alterum, Cicero ad * Curionem: Hac causā inuenta res ipsa est, ut certio - * Lib. XI. res faceremus absentes, si quid esset quod eos scire, aut nostrā aut ipsorum interesset. Et ante eum * Turpilius: * Apud Hier. Epist. XLII. Sola res est † quae homines absentes, praesentes facit. † Velim trāſponi, ut fiat Trochaicus, homines absentes qua præf. Rectè igitur dixi absentes. sed addidi etiam quasi absentes: quod interdum ea usurpata ad praesentes. Ita Augustus * sermones grauiores cum Liua sua non nisi in scriptis & libello habebat. Et idem Iuliam suam in Amphitheatro * admonuit scripto. Quin mos ille sub Tiberio Principe * etiam presentem scripto adire. * Suetonius cap. XCIV. * Macrobius, 11. Saturnal. * Tac. 1 V. Annal. quem

quem originem sum p̄fisse à Julio Cæſare ex Plutarcho colligas: qui primus (inquit) rationem repperit amicos per litteras conueniendi , cùm corām agendi nec occupationes nec magnitudo vrbis semper occasionem daret. Atque id genus propriè Codicellos appellabant. Senecæ ea mens epist. L V I. *Video te mi Lucili cùm maximè, audio. adè tecum sum, vt dubitem an incipiam non epistles, sed codicillos tibi scribere.* Hæc definitio Epistolæ. ex quâ partes præcipuas eius duas facio: Materiam & Sermonem .

CAPUT III.

*Materies definita, diuisa, & de
premissis Epistole.*

MA TERIEM dico REM QVAE SUBLIECTA Scriptioni. Ea duplex, Solennis & Varians. Solennis, QVAE IN OMNI EPISTOLA, EADEM AVT PAENE EADEM, ET QVASI EX FORMVLÆ RECVRRIT . Qualia sunt, Præloquium, & Clausula. Præloquium intellego, QVOD EX RITV PRAEMITTITVR: vt Nomina & Salus. In Nominibus olim receptum, vt in ipsâ fronte epistolæ bina semper ponerent, Suum & Alienum: illo præposito, etiam ad digniorem. Cuius cauſsâ, quoniam prima legentis cogitatio & desiderium est, scire à quo missa. Etiam hoc seruatum, vt nomina nuda, nec blandientia aut laudantia verba, sibi alteriue tribuerent, excipio, si quis in imperio aut magistratu. Tum enim verbo additum, *P. Ser-*
vilius

INSTITV TIO EPISTOLICA.

Julius Rullus Trib. pl. x. vir Cneo Pompeo proconsuli.

At Epitheta nulla: nisi ad vnicè caros aut domesticos. quos interdum *Humanissimos, Optimos, Suauissimos,*

Suas animas appellabant, & receptissimo verbo, *Suos.*

Quod postremum interdum etiam ad leuiter notos

vsurpabant. vt apud Liuium: *Prætores Syracusani*

Lib. xxi. v.

Marcello Suo. Prisci interdum: sed labens ætas pas-

sim & omnibus dedit. adeò vt Imperatorem ipsum

sanequam familiariter *Suum* salutet Plinius in magni

operis prafatione. Ab hac mente Martialis:

Lib. xiv.

Seu leuiter noto, seu caro missa sodali,

Omnis ista solet charta vocare s v o s.

Et in Plinij Iunioris epistolis vix aliter legas: sicut

& Pandectarum aliquot locis. Olim ista: ego ho-

die temperé ad usum nostri æui, & alieno ingenio in-

terdū seruiam potius, quam meo. Ad doctos, probos,

simplices simplicia hæc seruem: ad magnates aliter;

nec temere nomen meū præposuerim, & appellandi

formulâ potius scripserim, *Maxime Rex, Illustrissime*

Princeps, Amplissime Domine, &c. Misera ostentatio

scientiæ, quæ risum aut offendam debet, vtique in

epistolâ, quæ tum demùm rectè scripta, cùm videtur

illi cui scripta. At de Salute, clarum est olim eam

post ipsa Nomina adiectam: haud dubiè ex collo-

quitorum more, quo in occursu statim salutamus.

Græcis simile: quibus *χαιρεῖν* precari in usu fuit, aut

εὐ στάγηι, quæ Epicuri salutatio: aut *ἐνθάρτειν*, quod

disputatiunculâ quâdam præfert Plato ad Diony-

sium. Horatius, non præter solitum Græcus, ex-

pressit ista:

Vide Diog.

Laërt. in

Plat.

Epist. iii.

mub

B

Celso

Celso gaudente & bene rem gerere Albinouano
Musæ rogata refer.

In Phocio-
ne.

Omittebant hæc interdum, & præsertim Reges, quasi per maiestatem. Plutarchus notat, Alexandrum, victo Dario, abstulisse ab epistolis, τὸ χειρόν, (illud Salvare,) exceptis quas Phocioni scribebat. quem unum, sicut Antipatrum, compellabat post Salutem dictam. Pertinere etiam ad Præloquium videatur vetus ordiendi formula, S.V.B.E.E.V. quæ in priuatis litteris frequens; in publicis perpetua, etiam posteriore æuo. Concipi solet & his notis: S. V. G. E. V. id est, Si valeo, gaudeo, ego valeo. Quæ apud Oppium de bello Hispanensi lectæ, frustrâ turbant, & ad mutandum impellant eruditos.

C A P V T I V.

*De iis quæ ad finem epistola, itemque aliquid
de Signo.*

AUDI Clausulam venior quam appello. TERMINUS
ANVM EPISTOLÆ ET FINEM. In eâ hæc quinque solennia ferè insutur. *Valedictio.* quæ in-
ferta pariter ex sermonis ritu, quo abeuntes alter alteri
bene precainir. Expressa antiquis simplici verbo
Vale. Ouidius:

V. Tripl.

Accipe, quo semper finitur epistola verbo, Atque meis discent ut tua fata, Vale.

Interdum Hanc, Salve: nec indecorè cum adiectum culâ mi anime, mi suauissime. Aut alio verbo ad argumentum apto: Vale & veni, Vince & Vale. Inter-
dum

INSTITVTO EPISTOLICA. II

dum & voto concepta: Deum precor ut te seruet, consilia tua fortunet &c. Quæ omnia cum iudicio imitanda aut immutanda pro re & personâ. II. Loci adiectio. quæ necessaria inter absentes: nisi si de eo planè constet. Itaque Ciceroni crebrò omissa: & in pari causa omittenda nobis. II. Temporis. in quo dies semper annos plurimū; horas interdum notatas inuenies. IV. Subscriptio. quæ priscis ignota: nisi forte in litteris ad Imperatores; quibus subscriptum per speciem honoris & obsequij, * Deuotos se esse. Nos tamen usurpamus, nec damno apud grandes aut ignotos: apud familiares vacuum videatur, imò vile. V. est Superscriptio. quæ nobis inter legitima, veteribus raro fortasse usurpata. Dabant enim plerumque & mittebant per Pueros suos aut Tabelarios notos, nec aliud in exteriore epistolâ, quam Signum & Linum. Illud plerumque erat * Imago propria, aut alicuius è maioribus, impressa cerâ sive cretâ. De cerâ notum est: de cretâ, venisse in hunc usum Cicero ostendit V. in Verrem: Signum iste animaduertit in cretulâ. Et pro Flacco, Asiaticam cretam in hac re appellat. Linum fuit, vinculum quo epistola obligata, & cui signum ipsum impositum impressumque. Plautus:

Cedo tu ceram ac linum: age, obliga, obsigna citò.

Nec aperire epistolam firūt, nisi illo soluto. Inde apud Curtium: At Parmenio vinculum epistole soluit. Apud Ciceronem: Incidere linum. & passiuâ vulgataque phrasî, Soluere epistolam. Ferè autem signum cum eo fractum. ideoque iubebant semper ante aper-

* Ex Dione
LVII.
Suetonio
Tib. XXXI I.
Et priscis la-
pidd. D. N.
M. Q. E. id
est, Deuotus
Nummi Ma-
testatiq. eius.

* Sive alia
alsqua. ve
Augustus
Sphynge si-
gnare sole-
bat, posse à
imagine
Alexandri,
postremum
sua.

I V S T I L I P S I T M I
tionem Signa agnoscí, fidei caussâ. In Plautinis:
Accipe, hem cognosce signum.

Iterum :

Cape, signum nosce. Cicero in Catil. Ostendi tabellas Lentulo, & que sui cognosceréntne signum? Annuit. Est verò inquam imago aut tui clarissimi viri. Sallustius : Pellectis litteris, cum prius omnes signa sua cognouissent. Hoc curiosè ideo: quia signo corrupto, facile & tutum negare à se scriptam. vtique cum dictassent (vt sàpe) & alienâ manu esset. Ita olim. nec tamen rigidè abnuo, quin aliquando superscriptum! Plutarchus in Dione, inter plures epistolas quæ adlatæ, *μίας οὐδὲν*, inquit, *εξωθεντι-γένεσιν, τοῦ πατέρος πατέρα*. In patris: *Vna erat exterius in- scripta, Patri ab Hipparino.* Quod pro eorum opinione sit, qui volunt ea quæ in capite ac fronte epistolarum veterum semper legimus, fuisse Tabellarij caussâ in earum dorso. Sed quidquid huius sit, nobis Superscriptio usurpanda: siue ob ignotos ignorantesque Tabellarios, siue magis ob receptissimum morem, cum quo frustrâ pugnemus. Quin & Titulis, eodem auctore, vti suadeam: sine ambitione tamen aut professâ nimis adulacione. Hæc Solennis Matrices epistolæ. in quam licet aduocem Epistolas totas, quas *Formales* * Suetonius appellat. Ex de vnâ ali- quâ re, vnâ ac simili formâ, ad plures scribuntur: in negotiis publicis, inque aulis Principum etiam hodie visitatæ. quas ipsas *Canonicas* (nisi fallor) * Cassiodorus appellat.

* In Domit.
cap. xiiii.

* Lib. II. Var.
Epist. xxiiii.

CAPUT V.

De Materie varia eiusq; sectione.

ART Variantein Materiem appello, QVAE DIVERSA IN QVAQVE EPISTOLA EST: IPSA OCCASIO SCRIBENDI ET CAVSSA. Ea multiplex:nec minùs latè patet quām hæc vita. Quid enim rei diuinæ aut humanae est, quod non sermone communicamus? ergo & Litteris, quæ alter sermo. Sed tamen diffusam coercere his terminis posse videor, ut omnis ea sit triplex: *Seria, Docta, Familiaris.* SERIAM dico, quæ ad publica aut priuata pertinet, sed uberioris ea tractat, & cum curâ. Id genus Inter publica sunt: *Narrationes, Dissertationes, Deliberationes, de statu rerum, de militia, de pace, & his talibus.* Inter priuata, *Consolations, Admonitiones, Petitiones, Obiurgationes, Excusationes, Suasiones, Laudationes,* & uno verbo, quicquid paullò magis seriò scribitur, & vñâ in re velut figentes pedem. Quod genus sâpe incurrit, & plerumque necessariò interdum animi causâ, usurpatur. DOCTAM dico, quæ ea que ad scientiam aut sapientiam, continet, & res non epistolæ, epistolæ veste velat. Talis triplex: aut enim *Philologa* est, & in amoenioribus studiis occupatur, vt olim *Varronis Quæstiones Epistolæ, Valgij Ruffi Quæsita per Epistolam.* Aut *Philosopha*, & de Naturâ vel Moribus agit: vt *Senecæ nostri epistolæ, sed & Platoni.* Aut denique *Theologa*, quæ in sacrâ rebus dedita: vt sunt *Augustini, Hieronymi, Cypriani, Basilij, Gregorij* utriusque. Denique **FAMILIAREM** dico, quæ res tangit nostras aut

*circa nos, quæque in assidua vitâ. Ea propria & creber-
rima Epistolæ materies: &c, si verum fateri volumus,
germanæ illius vna. Cui priora illa duo, *Seria*, in-
quam, & *Docta*, sæpe admixta: sed admixta, varium-
que ei semper nec simplex argumentum.*

OCCHIO SCRIBENDI ET CASA. F. J. M.

C A R T O N *Only one*

De Inuentione pauca & Ordine.

SATIS de vniuersâ Materie dictum: de Inuen-
tione & Ordine addendum aliquid est: sed bre-
uiter. Nam ad Inventionem vberibus præceptis quid
opus? cùm semper ea prompta, nec ad Epistolam
scribendam veniatur nisi argumento concepto, &
mente (yt ita dicam) tumente. Quod in Familiart-
bus verisque Epistolis perpetuum est: In Seriis aut
Doctis paullò aliter, quibus quomodo aggerenda aut
amplificanda Materies sit, nihil hîc ego: sed Rhetor-
um te libri docebunt. Nec in Ordine quidein ad-
modùm labore: qui optimus in Epistolâ, neglectus
aut nullus. Ut in colloquiis incuriosum quiddam &
incompositum amamus: ita hîc. Adeò vt nec in
Responsionibus ordine & distinctè ad capita semper
respondeamus: sed vt visum, atque vt hoc illud vce in
mentem aut calamū venit. Omnino decora est hæc
incuria: & magnus *Magister rectè monuit, Episo-
las debere interdum ballucinari. Itaque ille ipse hæsitat,
reuocat, turbat, miscet: nec quicquam magis curasse
videtur, quam ne quid curæ præferret. Tamen in
Seriis, nō nego de Ordine paullò magis fatagendum:

* Cicero ad
Attic.

sed ita, ut semper infra Oratoriā illam diligentiam
consistas, & imitere eam, non aeques. Præceptis cur
te alliges? Ut Imperatori in acie certus aliquis ordo
est, nec tamen unus: sic tibi in omni Materie, quam
pro re, pro iudicio dispone, & quodlibet ibi
ad suum ministerium, cuius locum
oportet diu invenire. C. A. P. V. T. V. T.

De Sermonē. qua de eo dicenda;

primum de Breuitate.

VE N I O ad Sermonem cuius causa, tateor,
Institutio hæc suscep̄ta. Nam de Materie, co-
tum mediocris cuiusdam prudentię est: & vix pecca-
tur, at in Sermonē Labor & Error est; nec corpus il-
lud hodie crebro cultum vidimus (liberè effero) de-
cessi haec veste. Sermonem appellō, ELOCUTIONEM
EPISTOLI MODOVM EPISTOLAE APERTVM. Si ut
talis fiat, dupliciter eum considerabo: UNIVERSE & DI-
STINTE. Uniuersè, in toto Habitū & conformatione
epistolæ Distincte, in partibus, id est Phrasē & Ver-
bi. De Habitū igitur sermonis epistolici, præcipio
ut quinque ista series: Breuitatem, Perspicuitatem,
Simplicitatem, Venustatem, Decentiam. Prima illa, prima
michi sermonis virtus est: adeoque epistolæ propria,
ut si longior, (cum Dicitur de sepius.) Libri iam no-
men assumat, Epistolæ amittantur. Cum tam multa ca-
nuntur, qui debet multis: Addo, quod ut in sermo-
ne aut fabulis, sic in Epistolis odiosa garrulitas.
Quoniam rāmen, quod obseruesq; imperitissimus quis-
que affectat, & loquentes ferè plurimum, qui mini-
mūm

mùm eloquentes. Ut corpore tenues, veste se dilatant; sic qui ingenij aut sapientiae inopes, diffundunt se verbis. At Breuitas mihi amata, & iis qui sapiunt: si tamen cum Iudicio ea usurpata & Modo. Peccari enim & h̄c posse scio: & ut in sagittâ mittendâ, non minus aberrat qui citra scopum, quām qui ultra iaculatur; sic in scribendo, quisquis pauciora quām pro re, aut plura dicit. Modum autem à materie specto. si Seria Epistola aut Sapiens, diffundi paullò magis velim, & rei per se graui addi verborum aliquod pondus. Si Familiaris, contrahi: nec res tenues ac multas onerari laciniâ sermonis. Scilicet ut vela pro magnitudine nauium: sic verba debet esse, pro rerum Iudicium porrò sumo à Personis; idque dupliciter: A Qualitate, à Captu. Ab illâ: vt si ad Ignotos aut Magnates scribitur, vberior & floridior paullò epistola sit: quia stricta illa breuitas apud hos tales, non abest à contemta. Alter, si ad Amicos aut æquales. A Captu: vt si ad leuiter doctum aut acutum; si ad iuueniem, extendam tunc profectò, nec tenebras ingenii offundam per se pârtem claris. Atque id mihi in omni persona valde nota: vt illi, inquam, te stilumque tuum attemperes. quoniam caput artis, scribere accommodatè. Quî fieri igitur Sermo breuis: obseruatione triplici: Rerum, Compositionis, Verborum. Rerum, vt superiacuum nihil admisceas, nil repetas, in primis non capita ad quæ respondes. Compositionis, vt structuram & periodum longiorem omnem fugias: membris vtare, & asyndetis sâpe. Verborum: vt lætior omnis phrasis, allegoria, imago abdicetur: parca & pura oratione sit,

tio sit, necessariâ supellectile verborum contenta.

Habes de Breuitate: quæ viris mihi dicta, non iuuentuti, sunt. adeo enim hanc, ad eam non voco, ut etiam absterream: siue quia tutò adsumere vix potest, & Breuitatis initatio facilius è ætatem hanc decipit: siue quia nec utiliter potest. & iuuenili illo breuitatis studio (sèpe vidimus) aridus plerumque & exsuccus stilus euadit. nec facile ad laudatam illam temperiem venitur, nisi initio libertas quædam & luxuries sit, quam ætas paullatim depascat.

C A P V T N O V I L L

*De Perspicuitate; qui peccetur in
eam, qui pareatur.*

VIRTVS altera, *Perspicuitas*, de industriâ à me Breuitati subtexta, quia periculum magnum huic ab illâ. Quam ardua, quam rara illa Breuitas, quæ non præteruollet aures aut defraudet? inquam legentis sensus non opus sit intendi? Atqui semel hoc imbibe: summum in sermone vitium esse, non solum non capi, sed etiam ægrè capi. In quo peccant quidam Naturâ, qui ipsi obscuri & reconditi talia efferunt: plures, Studio, qui nihil doctum aut laudabile putant, nisi reconditum, & quod fugiat vulgares mentes. Stulti! quia male ingeniosus ille, ad quem capiendum opus est ingenio: præsertim in Epistolâ, quæ arbitrum aut interpretem non querit. Clatè ergo scribito: si potes, & breuiter, sed ita, ut hoc laudis esse scias; illud necessitatis.

C tem

18. *AD VITIUM* *DIPSI*
tem sermo erit, præceptra triplici; Si verba in eo pro-
pria, si usitata, si collocata. *Hoc* de *Breviariis* *de* *curia* *non* *occu-*
patum, *tunc* *quod* *occa-*
sione *spatiale* *ad* *utrumque* *modum* *convenit* *illo* *pre-*
dicto; *hanc* *monita*.

TERTIAM virtutem posui Simplicitatem: intellectu duplo, quia & in Stilo eam exigo, & in Mente. De Stilo: certum, & veterum exemplo testatum est, simplicem eum esse debere, sine curâ, sine cultu; simillimum cottidiana sermoni. Itaque Demetrius, ut Dialogum, Epistolam scribi vult: & ipse Cicero, *texi eam quotidianis verbis.* Seneca apposite: *Qualis sermo meus esset, si una sederemus aut ambularemus, illaboratus & facilis: tales volo esse epistolas meas.* Quod seminas ornare dicitur, non ornari: hoc epistolam, quam sequi decor debet, non ab eâ aut in eâ affectati. At de Mente: ita intellego, ut simplex quidam & ingenuum in totâ scriptione elucet, & aperte candorem quemdam liberâ mentis. Nullâ enim ex re magis naturâ cuiusque & certa indeoles eluet (Demetrio verè scriptum) quam ex epistolâ. Itaque optima ea tibi representanda, & in primis illi ad quem scribis amica ut inquam lenium affectuum & benevolentiae illud, ut si dicam, saccharum, inspergatur, fiatque delectabilis, & ad legentis gustum. Quo in genere Cicero unicus, & unicè unitahdus. Præceptis enim aliis res non continguntur. Cautionem addo sine exceptione: pro re interdum epistolam assurgere, &

paullò

paullò studiosius scribi (vt in Seriis:) sed tamen ita,
vt simplicitatem totam non exuat; & ornamenta in-
terdum habeat, lenocinia nunquam. Nam illæ quæ
ad pompam & ostentationem ingenij scriptæ (qua-
les Philostrati & Phalaridis, item Synelij & Plinij
nonnullæ) nescio an tueri nomen veræ epistolæ pos-
sint apud iudices veros.

anno 11.
meritis he

C A P V T X.

Junctim de Venustate & Decentia.

RE LI Q Y AE mihi duæ virtutes, *Venustas*
& *Decentia*: et si vix reliquæ. Ut si que enim
cuiusmodi, vt admonere de eâ breuiter possim, non
docere. Illa ab Ingenio tota est, hæc à Iudicio: quo-
rum utrumque spernit ligari præceptorum his vi-
nis. *Venustatem* appello, cum sermo totus alacer, viuus,
eret etus est, & afflicientem quandam gratiam & honestumque
prefert. Quod natura ferè dat: non nihil tamen &
duplex hæc motitio. Primum, vt Adagia Allusiones
que ad dicta aut facta vetera, versiculos aut argutas
sententias virtusque linguae interdum illo nescias. Se-
cundum, vt iocis salibusque opponi unde condias, quos
animam & vitam epistolæ esse non fugiam dicere.

At *Decentiam* intellego, id quod Græci τὸ πεποντό:
que cum in epistola scilicet omnibus aptè & conuenien-
ter scripta. Quod fieri aspectu duplid: Personæ &
Rei. Personæ, dupliciter; si tuam respicias, & eius ad
quem scribis: Rei autem, simpliciter; vt omnia pro
argumento, & sententiarum phrasiumq. vestis apta
potius

* In Orat.
ad Brutum.

sit corpori rerum. Magna hæc, sed occulta virtus: nec immitterit. Cicero monuit, *vt in virtù sic in oratione, nihil difficultius esse, quam quid deceat, videre.* Nec verba hīc perdam: quia scio iudicij totam hanc rem esse. quod à Deo & à naturā pete, non ab Arte.

C A P V T XI.

Ad Sermonem distinctè transitum. eum parari Imitatione: ad hanc tria precepta. Et primum de iis qui, & quando, legendi.

DI X I vniuersè de Sermone: magis distinctè ad partes eius transeo, Phrasim & Verba. Illam appello, **VOCES DVAS AVT PLVRES IN SENTENTIA IVNCTAS:** Hæc, **VOCES IPSAS SINGULAS.** In illis *Elegantia & Nitor* requiritur: in his *Latinitas & Proprietas.* Ea omnia hodie, vel ex *Auditu* haurienda sunt; vel ex *Lectione.* Ex illo leuiter, quia nec adhærent audita animis, æquè ac lecta: nec est ferè vt optima audiantur. quia & rarus Latinus sermo, & pauci eâ curâ loquuntur quâ scribunt. Itaque doctissimi ac disertissimi, saepè in sermone alij, nec temerè exemplum vidimus aut videbimus eloquentia, quam formauit Auditio sola. Lectio igitur magis tuta, magis utilis. sic tamen, vt *Imitatio* ei adiuncta sit: sine quâ languida hæc, imò vana. *Imitationem* dico, **SERMONIS NOSTRI AD SERMONEM VETEREM, APTAM CONFORMATIONEM, ET STILO EXPRESSAM.** A quâ (vno verbo dicam) spes omnis crescendi huic segeti Phrasum & Verborum.

borum. Nam Ars alia, quicquid conentur, non magis disertos fecerit, quam vates somnium in Patnaso. De illâ igitur cum curâ & ad usum dicam: & quidem hæc tria, *Quos & Quando legas: Quid est quibus feligas: Quid exprimas & quid vites.* In primo: utinam ea copia scriptorum hodie, ut iure ambigua haberi hæc lis possit! Pauci relicti veteres: quis controuertet quin ij legendi omnes sint? nisi forte nuper aliquot Itali, qui in arctum reductam eloquentiam, concluserunt finibus tantum Tullianæ lectio-
 nis. O vani & fastidiosi! non solum præter mente magistrorum veterum, sed præter rationem præterque usum. Quos nunc non refello, & adhæsisse olim me scio paullò iuuenilius, donec repressit & reuocauit maturioris iudicij frenum. Tu mecum, omnes legendos imitandosque tibi certò statue: non simul tamen aut omni æuo. Discrimen aliquod temporum est, quod utiliter enotabo. Est *Puerilis* quædam & prima Imitatio, est *Crescens*, est *Adulta*: In illâ primâ, Italorum hæresis mihi placeat: & aliquamdiu Cicero non præcipius solum legatur, sed solus. Cui fini? ut corpus scilicet illud & contextus orationis primum serior formetur uno quodam habitu, & æquabili sermonis filo. Nescio an idem censerem, si Caluus, Cælius, Brutus, Cæsar, & alij è classe Oratorum extarent. Sed, ut hodie res est, quis præter Tullium periodos, membra, numeros, & continuatam illam orationis seriem nobis suggesserit? A quâ, me quidem iudice, necessariò initium faciendum iuuenati. Ut pictor cum tabulam accepit, primum ho-

minet totum delineat; colores mox aptos querit,
 & addit cuique parti: sic meus Imitator, corpus elo-
 quentiae suæ formet, pigmenta deinde varie conqui-
 rat. Nisi facit, (crede iuuentus, aut serò credes:) hiulca
 semper, incomposita, & è variis varia quædam stili
 forma gignetur, nec satis sibi constans, quotidie vi-
 deo; & peccati caussam non ignoro. Cicero igitur
 primus primas teneat: & teneat folius. Sed quamdiu
 pro ingeniis tempus definiam: in molliore aliquo,
 annum, in duriore, alterum etiam annum. Et addo
 non inutiliter, sub hanc ipsam curam, Mantij epi-
 stolas, Sadoleti, Bembi, Bunelli, atque in primis Longo-
 golij nostri, legi posse. non quia ipsi (liberè dicam)
 valdè probi; sed quia puerili quodam affectu Cice-
 ronis illa orbitam anxiò pede presserunt, ideoque per
 eorum vestigia tutior & facilior tibi cursus. At in
 Crescentem & Iuvenilem Imitationem alios admitto:
 sed successu tamē, nec ut saltu pergas, sed per quos-
 dam velut gradus. Itaque in eo consilio, eos hīc pri-
 mūm ideas qui à Cicerone minimum abeunt, & qui
 copiā, suavitate, fluxu dictionis, referat beatam illam
 facilemque naturam. Qualis Fabius in primis, &
 nonnihil Q. Curtius, Velleius, Littius, Cæsar: simi-
 liores futuri, nisi retinuisse & statuisse alia species ar-
 gumentis. Hoc igitur rite, lege, sed leviter, at cum
 omni studio Plautum & Tuccium, qui semel cor-
 porc illis sermonis & tamquam aedificij formâ con-
 stituta, utilissimoladhibe cultur ad poliendas omnes
 partes. Verborum Proprietas à quibus peratur me-
 lissa, & quibus Phrasum illenitor Atticus? Yam ve-
 nimus, &

mus; & lepor & comitas à quibus vberius hauriatur,
quām à meo comicō? Plautum enim h̄ic solum in-
tellego; & præpono (nec impono: quia ex animo ita
sentio) omnibus, qui in Latio aut Græciā imbuerunt
chartaceum hoc æquor. Hi ad Epistolam (de Ora-
tionibus enim aliter censeo) & familiarem scriptio-
nem in primis apti: quia reuerâ epistola quid aliud,
quām cottidiana dissertatio? vt non errârit Artemo
apud Demetrium, qui censet eodem modo Dialogum & Epistolam scribi. Et Plinius ab eadem caussâ,
epistolas matronæ cuiusdam dilaudans, cum Plauto
& Terentio metro solutis eas componit. Quin ipsum
Plinium, in secundâ hac classe iure colloco, tertium,
acutum, nitidum: sed non sine deliciis molliculum
interdū, & pardum virum. Cui comitem nouum do,
sed majorē nouis, Etruscum illum Angelum, qui
(nisi quod affectatæ interdum & quæsitæ in eo argu-
tiæ) cum illis ipsis priscis pari passu decurrere posse
videatur Epistolarem hunc campum. Hoc velut
tirocinij biennium sit: quo manus hæc stili coërcen-
da non nihil intra puram togam. cui iam deinceps, in
Adulta Imitatione, liberè permittant exercit se & va-
getur per scriptorum omne genus. Legat, videat, &
flores ex omni prato carpat ad Eloquentiæ hanc co-
rollam. Sed in primis suadeam Sallustium, Sene-
cam, Tacitum, & id genus brevium subtiliumque
scriptorum iam legi, quorum acutâ quasi falce luxi-
ties illa paullisper recidatur, fiatque oratio stricta,
fortis, & verè virilis. Finij de parte primâ: nisi quod leniter addo, per-
utile

utile futurum euindem illum Ciceronem legi cotidie & relegi; vespertinis præsertim horis, & si opportunitas feret, sub ipsum somni tempus. Mens tunc nescio quomodo melius arripit, retinet, & concoquit per quietem. Tenta, reperies in leui monito non leue momentum.

C A P V T X I I .

*De Excerptis; quo ordine ea instituenda,
& à quibus singula carpenda.*

QVID *seligas & A quibus*, partem feci alteram. De quâ etsi exemplis dicere facilius possem, quâm scriptis; tamen breuiter hæc habe. Lectionem ipsam non sufficere, ne repetitam quidem, imò nec in felicissimâ memoriâ: sed opus esse *Excerptis* quibusdam & *Notis* rerum verborumque singularium, quas imitemur. quæ Excerpta Memorialibus libellis, tamquam ærario, contineri velim, vnde sermonis illæ opes per tempus & ad usum promantur. Fieri autem libellos triplices: unum, quem *Formularum* dixerim; alterum, quem *Ornamentorum*; tertium, quem *Dictionis*. Duo illi ad sermonem uniuersum magis pertineant; tertius ad distinctum. In primo, Formulæ mihi duplices: *Ad contextum* istæ: *Ordiendi*, *Narrandi*, *Continuandi*, *Transcundi*, *Abrumpendi*, *Classendi*: *Ad Materiem*, istæ: *Rogandi*, *Gratias agendi*, *Operam offerendi*, *Laudandi*, *Vituperandi*, *Asseuerandi*: & quicquidistarum rerum communium est, quæ in epistolam creberimè incurunt. Secundus, *Ornamentorum*

namentorum liber est, in quo distincte & per capita collocauerim hæc: *Similitudines, Allegorias, Imagines, Acutiora dicta, Sententias*, & si qua eiusmodi illustria lumina sermonis. Tertius, *Dictionis*. quā diuidō in duas partes, *Phrasium & Verborum*. Phrases quidem enotari velim, quæcumque insigniores aut nitidiores occurrent: Verba, quæcumque rara, noua, aut nouo sensu sive flexu usurpata. In Phrasibus dispositionem non video, nisi quod seorsim eas ponī velim, pro discrimine scriptorum: Tullij solas, Plauti & Terentij solas, Historicorum solas: quod quisque pro iudicio suo aut industriâ facito. In Verbis ordinem solūm seruem Alphabeti. Hæc sunt quæ seligi velim. Sed à quibus? non enim promiscuè ab omnibus: sed ad iudicium paucis tibi sic præibo. *Formularum* liber à Cicerone maximè compleatur; addo Plinium, Politianum, aut si quid aliunde transferre aut haurire poteris opportunè. *Ornamentorum*, à Cicerone, Fabio, Plinio, Historicis, Senecâ, etiam à Græcis, & in primis Plutarcho. *Phrasium* exempla à Cicerone maximè, & Comicis petantur: non nihil ab Historicis, atque etiam ab aliis quos non attigi, Varrone, Agellio, Suetonio, Iurisconsultis, imò & interdum Appuleio. *Verborum*, uno verbo, ab omnibus: nec inutiliter etiam à Grammaticis & Glossariis antiquis.

Dicitur CAPUT

*De Expressione & formatione Stili, per
tria genera Imitationum.*

TERTIVM illud utilissimum sequitur; Quid exprimas, & quid vites. Frustrè enim priora illa duo, si non istud: nec lectio aut selectio adiuvant, sine probâ expressione. Ea ut talis sit, per tripli- cem Imitationem distinctè te ducam, & quid sequare in unaquaque dicam, & quid vites. In *Puerili*, duo haec tibi propone. Primo, vt Formulas in primis & communia illa contextus totius imitare. Secundo, vt ductum, numeros, lineamenta & faciem Tullianæ orationis. Et imitare, non industrie solum, sed pænè affectate & cupidè: sic inquam, vt colot quæsusitus & fucus appareat, imo & furtum. Ut pueros nihil pudet, cum scribere discunt, per singulos litterarum apices alienâ manu duci: non item hæc te. Clausulas, membra, & periodi cuiuspiam partem cum venia sepe inseres, & canticum è Tullij purpurâ contexes, paullò post daturus tuam. Exercitij genus, quod olim in Germaniam huic rei proposui, dicere operæ pretium habeo, et si non dictare. Fuit tale. Hæc sequere: quid fugies? nihil, nisi ea quæ Grammatici vitant.

At in *Crescente*, crescat mihi paullisper iudicium, & seruari præcipiam hæc tria. Primum, vt in furtis iam verecundior sis, non enim ultra decer. Secundum, vt in Formulis exprimendis remissior, non enim ultra opus. Sicut digitæ in citharâ ægræ & cum intentione

intentione initio ponuntur iudei postea ad chordas & numeros sponte veniunt. si mens istius paullum assefacta, Tertium, ut Phrases & Verba meliora vndeque assumas, & formes, ut sic dicam, tamen ille latine orationis tuae externam. Atque haec sane praeceps pua hinc cura. quid vitandum? vitium agnatum Verborum delectui, nimia asperitas aut antiquitas. Quod in Comicis imitandis praecipue insidi caue, & ne quid aut sordidum ab iis dictio tua trahatur, aut obsoletum. Nam ut imperiti pictores in facie exprimendam, rugam, næuum, verrucam facile imitantur, indolem negligunt, & ipsum vultum: sic saepe adolescentes rara aut exstantia verba excerpunt, ingenium omittunt & genium dictionis. Quæ autem verba sordida? quæ iacent, repunt, è facie vulgi & è triuibus sumpta, nec nisi iudicio discernenda. Quæ obsoleta? notæ duplicitis, Naturæ & Opinione. Illa dixerim, quæ reuerat talia sunt: haec, quæ sensu duntaxat vulgi. Nam hodie ita inualuit, ut quicquid ignotum, nec tritum auribus imperitorum, obsoletum censeatur, quamquam ab optimis auctoribus petitum, & ab optimo illo æuo. Priora igitur aut planè vitabis, aut non nisi cum excusatione & interfatiunculâ vtēris: ista etiam appetes, & intexes sermoni tuo tamquam gemmas. De quo toto genere, opportuniū monebo & instruam per exempla. Superest Imitatio vltima, siue *Virilis*: in quâ hoc præcipio, non tam exteriorem illum ornatum spectari debere, quam virtutes & cultum internum: id est, Figuras, Imagines, Acumina, & ea quæ appellaui Ornamenta. In quo

vna cautio, vt cum oratio perfici iam incipiat & summa illi manus imponi, *nano* *lunaria* vitetur & Affectionatio: infelix sane virtutem, & quod obrepit specie virtutis. Ea est, nimium cultus studium, & sine modo. Quod per te ægrè videas aut vites: felix cui doctor hic aliquis aut monitor atricus.

Hæc dictanda mihi nunc super Epistolis censui:
cum fructu nonnullo eorum, spero, qui audierunt;
vereor ut exiguo, qui tantum legent.

EX DEMETRII
PHALEREI DE
ELOCUTIONE.

Ἐκ τῶν Δημητρίων
Φαληρέως τοῖς
Ἐργανείας.

Ἐπεὶ δὲ οὐ ἐπισόλιμος
χαρακτήρ μεῖ) ισχύοτιος, καὶ
περὶ αὐτὸς λέξομεν. Αρτέμιον
μὲν δι, ὁ τὰς Αεισοτέλεις ἀνα-
γράφας ἐπισόλας, φησὶν δέ τι δεῖ
ἐν τῷ ἀντεβόπω σύζηλογόν
το γράφειν οὐ ἐπισόλας. Εἴναι δὲ
τίνι ἐπισόλιμον, οἷον τὸ ἔτερον
μέρος τῆς θιαλόγου. οὐ λέγει μέν
τι ἵστος, εἰ μὴ ἀπαντᾷ. μεῖ δὲ
ὑποκατεποιημένος πώς μᾶλλον
τῆς θιαλόγου τὴν ἐπισόλιν. οὐ μὲν
δι, μιμεῖται αὐτοχθονίου τα.
οὐδὲ γράφεται οὐ μῶσην πέμ-
πετει βόπον πνεύ. τίς γοῦν
ἵστος αὖ θιαλεχθῇ ωρὸς φίλον,
ἄπειρον οἱ Αεισοτέλεις ωρὸς Αν-
τίπατρον, οὐπέρ τῆς φυγάδος
γράφει τῆς γέροντος, φησὶν; Εἰ
δέ ωρὸς ἀπάστας οὔχεται τὰς
φυγὰς οὔτος, αἴστε μὴ πατάγην,
δῆλον ὡς τοῖς γε εἰς ἅδης κα-
τελθεῖν βιλομένοις, ἔδεις φθό-
νος. οὐδὲ διπο εχελεύθερον,
ἐπιδεικνύμενον τοις μᾶλλον, εἰ
λαλεῖται. οὐδὲ λύσεις συχναῖ,

QVONIAM verò &
Epistolicus character Exili-
tate indiget, etiam de ipso
dicemus. Artemo igitur,
is qui Aristotelis epistolas
collegit & euulgauit, ait
eodem modo oportere Dia-
logum & Epistolas scribi. Esse
enim epistolam quasi alteram
Dialogi partem. Et aliquid
quidem dicit, non tamen
omnia. Oportet enim epi-
stolam paullò magis ador-
nari & quasi exstrui, quam
Dialogum. Iste enim imita-
tur neglegenter & ex tem-
pore dicentem: illa autem
scribitur, & aliquo modo
mittitur quasi donum.
Quis igitur ita sermocinet
cum amico, sicut Ari-
stoteles ad Antipatrum, su-
per sene quodam exsule,
scribens ait? Si verò ad omnia
exsilia iste ita abiit, ut * non * non redu-
rebeat: manifestum est, quod
nemo inuidet ire ad inferos va-
lentibus. Nā qui ita disserit,
demonstranti magis quam
sermocinanti similis appa-
ret. Et solutiones crebræ

όποιας καὶ πρέπσεων ἐπισολαῖς.
ἀστραφὲς γέδε τὸν γεραφῆν λύσις.
καὶ τὸ μημπτικὸν, καὶ γεραφῆς θέτος
օπεῖον, ὡς ἀγῶνος. οἶνον τὸν τὸν γέδε
τῷ Ευθυδήμῳ, Τίς λιβᾶ σώ-
κερατες, φῦχθες τὸν λυκείων θε-
λέγει, πολὺς ὁ μάτιος χλοες πε-
ειστήσει. καὶ μικρὸν προελθὼν
ἐπισφέρει, Αλλά μοι ξένος τις φαι-
νεται εἴδει, φῦχθες τίς τὴν γέδε
ταιαύτη πᾶσα ἔρμινεία νῦν μί-
μοις πάσκειται πρέπει μᾶλ-
λον, καὶ γεραφομέναις ἐπισολαῖς.
πλεῖστον δὲ ἔχεται τὸ θήμιον ἐ-
πισολῆν, ὥσπερ καὶ οὐδείλογος.
χειδὸν γέδε εἰκόνα ἔκειτος δὲ οἴα-
τος Φυχῆς γράφει τὴν ἐπισο-
λην. καὶ εἴσι μὲν δὲ ἔξι ἀλλὰ λόγια
παντὸς ἴδειν τὸ θήμος τῷ γράφοι
τοις ἔξι ἀλλεοῖς δὲ εἴσιταις, ὡς ἐπι-
σολῆν. τὸ δὲ μέγεθος συνε-
σάλθω τῆς ἐπισολῆς, ὥσπερ καὶ
ἡ λέξις, αἱ δὲ ἄγαν μακεῖ,
νῦν προσέπικαται τὴν ἔρμινειν
οὐκαδένεις ερει, καὶ μὰ τὴν ἀλή-
θειαν ἐπισολαῖς γένοντο αὖ,
ἀλλὰ οὐ γράμματε, τὸ χαῖρεν
ἔχοντα προσγεγεραφμένον. κα-
θάπτει τὰ Πλάτωνος πολλά,
καὶ Θεοφάνεις. καὶ τῇ σωτάξει

in sermone, quales non de-
cent epistolas: quia obscu-
rum quiddam in scriptione
solutio. Et illud Imitato-
rium, non tam scriptiois
proprium, quam contentio-
nis. Sicut in Euthydemos:
*Quis ille erat o Socrates, cum
quo heret in Lyceo differebas?
certe frequens turba vos cir-
cumfisiat.* Et paullum
progressus, infert: *At multi
hos pessos quispiam esse videbatur
qui cum loquebantur. quis erat?
Hæc enim talis elocutio &
imitatio, histrionem magis
decet, non epistolas scriben-
tem.* Plurimum autem
Morale Epistola habeat,
sicut & Dialogus. Fere enim
animi sui simulacrum quisque
& imaginem, epistolâ scribit.
Et est quidem ex aliâ omni
oratione videre ac noscere
mores scriptoris: ex nullâ ta-
men æquæ, atq. ex epistolâ.

Magnitudo autem epistolæ
modica & contrafacta esto, si-
cut & dictio. Valde autem
longæ, & elocutione magis
inflatæ, non, per fidem, epi-
stolæ sunt, sed Libri aut scrip-
ta Saluere illud habentia. si-
cut Platonis plurima sunt, &
Thucydidis. Et Cōstructio-
ne qui-

μέν τοι λελύθω μάττων γελοῖον
δὲ περιοδεύειν, ἀλλα τόποις οἱ
λεῖν, αἷλα δίκαιον γράφονται,
καὶ εἰδὲ γελοῖον μόνον, αλλὰ εἰδὲ
φιλικόν. οὐδὲ δὴ καὶ τοὺς παρο-
μίαν, τὰ σῆμα, σύμβολον μένον,
ἐπιστολαῖς ταῦτα ἐπιτίθενται.
εἰδένει τὸ δὲ χρῆσθαι ὅπις τὸ χέρι
μόνον, αλλὰ καὶ φράγματά τινα
ἐπιστοληῖται εἶται. Αριστοτέλης δὲν,
δὲ μάλιστα ἐπιτετυχέναι δοκεῖ τὸ
τύπῳ ἐπιστολαῖς. Τοῦ δὲ εἰρή-
θεσσι, φιλοτίχοις δὲν οὐδὲ ἐπιστολη-
κόν. εἰρήτης δὲν ἐπιστολῇ σοφί-
σματα γράψῃ καὶ φυσολογίας,
Ἐγράφει μὲν, & μὲν ἐπιστολαῖς
Ἐγράφει φιλοφρόντως εἰρήτης. Εἴ-
δεισι δὲν οὐτοῦ σύνετοις καὶ
περὶ ἀπλῶν αράγοντος ἔνθετος,
καὶ εὖ ὄνοματον ἀπλοῖς καίλλος
μέν τοι αὐτῆς σύνετον φιλο-
φρόντως, τοιούτην τοποθεσίαν
εἰσεστι. καὶ τοῦτο δὲ μόνον οὐτοῦ
ἀντῆσθαι σοφὸν, σύνετον φιλοτικόν τα-
ῦται οὐ παρεγμένα τούτοις μόνον. οὐδὲ
γνωμολογῶν, καὶ φροθεπόμενος,
& δὲν ἐπιστολῆς εἴπι λαζαρύτιον,
αλλὰ μηχανῆς. Αριστοτέλης μέν
verò sententias loquitur, aut seriō cohortatur, nō per episto-
lam iam loquenti similis est, sed per artem. Aristoteles sanè

ne quidem epistola soluta es-
se debet magis. Ridiculum
enim per periodos ire, tam-
quam non epistolam sed iu-
dicialē caussam scribentem:
imò non ridiculum tantum,
sed nec familiare aut ami-
cum. Illud enim quod pro-
uerbio fertur, Ficus, ficus,
epistolæ oportet accommodare. Sciendum autem,
quod non solum Elocutio
quædā, sed & Res sunt Epis-
tolis propriæ. Aristoteles
igitur, qui formam maximè
epistolæ cōcepisse & aſſecu-
tus videtur, ait: *Hoc tibi non
scribo: non enim erit epistoli-
cum.* Siquis enim in epis-
tolâ Sophismata aut cauilloſ
scribat, aut Naturales
dissertationes, scribit quidem,
non tamē epistolam. Come-
enim quiddam vult esse Epis-
tolâ breue, & de re simplici
expositio, etiam verbis sim-
plicibus. Pulchritudo enim
eius & decor, amica benignitas, & crebra Proverbia
inserta. Atq. hoc vnum fa-
piēs insit epistolæ; quoniam
populare quiddā est Parce-
mia, & vulgo notum. Qui

Τι καὶ ἀποδεῖξοι πώς χρῆται
ἐπισολικῆς· οἷον σιδάρης βελό-
μενος, διπλόμοινος χρὴ ἐνεργετέin
τὰς μεγάλας πόλεις καὶ τὰς μι-
κρὰς, φυσὶν, Οἱ γὰρ θεοὶ εἰς αἱμφο-
τέρους ἔσοις ὕστετοι οἱ Χάριτες
Θεοί, οἵσαις ἀποκεισθαί οὐ παρ'
ἀμφοτέρους. καὶ γὰρ τὸ ἀποδε-
κτύ μενον ἐπειδὴ ἐπισολικὸν, καὶ οὐ
ἀπόδεξιον ἀντί. ἐπεὶ δὲ καὶ πό-
λεσί ποτε καὶ βασιλεῦσι τραχό-
μεν, ἔστωσάν τι ἄντας αἱ ἐπισο-
λαχεῖ, μικρὸν ἐξηρμένα πως· σο-
γαστέοις γὰρ καὶ τὰς προσώπους, ὡς
γράφεται. ἐξηρμένη μὲν τοι, καὶ γάχ
ἄστε σύγγερα μητε εἶναι ἀντί ἐπι-
σολῆς, ἀλλαπερ αἱ Αεισοτέλεις
πορὸς Αλέξανδρος, καὶ πορὸς τὰς
Δίωνος διμείεις ή Πλάτονος. Κα-
θόλευ δὲ μερίχθω οὐκ ἐπισ οὐδὲ καὶ
τὴν ἐρυπνεύσιν εἰς δυοῖν χαρακτή-
ρεσιν τέτον, τὴν τε χαρίστος καὶ τὴν
ἰχγῆ. Καὶ περὶ ἐπισολῆς μὲν
ποταῦτα, καὶ ἀλλα περὶ τῆς χα-
ρακτῆρες τῆς ιχγῆς.

& demonstrationibus utitur
interdum epistolicis. sicut
cūm docere vellet, pariter
magnis & paruis ciuitatibus
benefaciendum esse, ait:
Diij enim in utrisque aequales
sunt. itaque & Gratia, quoniam
dei, aequales tibi residebunt
apud utrasque. Nam & quod
demonstratur, Epistolicum
est: & demonstratio ipsa.

Quoniam autem & ci-
uitatibus interdum & regi-
bus scribimus, suntο eius-
modi epistolæ paullò magis
eleuatæ. (mens enim di-
rigenda & in personam,
cui scribitur.) eleuatæ ta-
men, sed non uti Liber aut
Commentatio fiat pro epi-
stolâ. sicut illæ Aristotelis
ad Alexandrum, & Platonis
ad Dionis familiares. Vni-
uersè autem miscetor epi-
stola, quod ad Elocutionem,
ē duobus characteribus istis,
Vrbano & Exili. Et de
Eistolâ quidem haec tenus,
& simul de charactere exili.